



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Nomina primæ Filii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

Sed etiamne rectè & notionaliter Author appellatur? Ita videtur deduci è S. D. in 1. dist. 29. q. 1. a. 1. dicente, quòd nomen Authoris supra rationem principii addat negationem passivæ originis ab alio. Verum D. Hilarius l. 1. de Trin. hoc nomen facit commune Patri & Filio dicens, quòd *Spiritus S. de Patre & Filio ambobus confitendus sit.* D. Augustinus illud non nisi cum cautela & distinctione admittit contra Arianos, qui hoc nomine majoritatem in Patre respectu Filii intendebant: sic enim inquit contra Maximin. c. 4. *Si propterea DEVM Patrem de Filio dicit Authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto; factor & concedo: si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantia Filium, cujus est Pater, desistat & respiciam.*

Præterea proprium, Patris nomen est, *Ingenititas*, quo ejus notionalis inaccessibilitas declaratur; nec tantum significatur negatio originis generativæ, quæ etiam reperitur in Filio, sed positiva possessio naturæ à se ipso cum exclusione omnis alterius processionis. Unde etiam S. Dionysius de Divin. nom. inquit, *solum fontem supersubstantialem Deitatis esse Patrem, & Conc. Toletanum sextum. Creditimus Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Divinitatis.* Ubi Pater non ideo dicitur, *Fons Deitatis*, quasi Deitas ab ipso promanaret, id quippe damnatum est in Concil. Lateran. C. *damnamus.* Sed quia habet in se ipso Divinitatem à nullo acceptam (*à se*) & à se in Filium & Spiritum Sanctum identicâ communicatione derivatam.

S. II.

Nomina propria Filii.

Nomina secundæ Personæ propria sunt *Verbum, Filius, & Imago.* Procedit, ut *Ver-*

ARTICULUS II.

De quorum obiectorum cognitione Verbum per se procedat?

SUMMARIUM.

1. Exponitur status questionis.
2. Verbum per se procedit ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in DEO.
3. Non sequitur, quòd Verbum sit imago sui ipsius.
4. Novitas, in quantum productiva Verbi, est prædicta.
5. Cognitio productiva Verbi tantum est illo prior prioritate à quo.
6. Verbum etiam per se procedit è cognitione possibilem.
7. Non autem è cognitione futurorum.
8. Exponitur textus Anselmi.
9. Comprehensio causæ perfectæ requirit comprehensionem effectuum contentorum.
10. Ablatis possibilem Verbum non remanet ejusdem rationis.

S. I.

Verbum per se procedit ex cognitione omnium attributorum & Personarum.

1. Si questio hujus articuli intelligatur de cognitione obiectorum, per quam de facto, non tantum per se, sed etiam concomitanter Verbum Divinum procedit, certum est Verbum procedere ex cognitione omnium obiectorum, quæ cunctaque per comprehensivam DEI scientiam attingunt. Uti clarè tradit S. D. q. 34. a. 1. ad 3. dicens: *Pater intelligendo se, & Filium & Spiritum S. & omnia alia, quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura.* Et ratio est manifesta: ex illorum obiectorum noticia procedit Verbum, quæcunq; repræsentatur in Verbo, quæcunq; enim Pater intelligit, in Verbo dicendo exprimit. *Dicit enim uno eodemque Verbo seipsum, & quæcumque facit.* Inquit S. Ansel. Monol. c. 32. & *Verbum de suo nihil habet, sed totum de illa scientia, ex qua nascitur.* Aug. l. 1. s. d. Trinit. c. 12.

Sed omnia obiecta tam Divina, quam creata tam necessaria, quam libera: omnes creaturæ tam actuales, quam possibilem repræsentantur in Verbo, & Verbo dicuntur, aliàs Verbum non esset

H h

com-

bum, quia procedit, ut terminus intelligibilis dictionis: Cùmque ex vi hujus intellectivæ dictionis procedat in similitudinem dicentis, non solum intentionalem, sed propter summam identitatem, quæ est inter esse, & intelligere Divinum, etiam naturalem, procedit ut Filius naturalis & consubstantialis Patri. Sic appellatur Joan. 1. *Verbum caro factum est.* Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Matth. 16. *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Unde & Augustinus l. 9. de Trinit. c. 12. *DEI Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat.*

Tandem appellatur. *Imago DEI invisibilis.* 6. Coloss. 1. *Candor lucis æternæ, & Speculum sine macula, DEI Majestas, & imago bonitatis illius.* Sap. 7. Imago quippe definitur. quòd sit *imago ab alio deusita similitudo.* ad quam proinde duæ conditiones requiruntur: similitudo nimirum & processio: idcirco tametsi ovum ovo, lac lacti sit simillimum, neutrum tamen alterius est imago, quia ab ipso non exprimitur. Sed utraque conditio in Verbo & Filio DEI perfectissimè reperitur, nam & procedit à Patre, & eundem adæquatissimè repræsentat non tantum per assimilationem, sed etiam per identitatem naturæ, idque ex vi suæ processionis, ut aliàs diximus, ideoque est imago non tantum assimilativa, sed etiam comprehensiva Patris.

Alia quoque nomina & effectus, quamvis omnibus Personis communes, tamen per appropriationem uni vel alteri Personæ specialiter tribuuntur, ob specialem aliquam convenientiam cum Personis, earumque originibus: Quamvis ergo potentia toti Trinitati conveniat, specialiter tamen Patri tribuitur, quia ipse est primum principium tam ad intra, quam ad extra. *Sapientia* appropriatur Filio, sicut & veritas, quia sicut sapientia, ita ipse quoque oritur per intellectum.